

possiones acceptæ propter rationem prædictam.

Quod etiam quinto propositum est, quod christiana perfectio non dormitavit à tempore Apostolorum usque ad presentia tempora; certum est eam non dormitasse, sed in plurimis viguit & in Ægypto, & in aliis partibus mundi. Numquid tamen aliquis Deo modum imponere potest, ut omnes in omni tempore, & in omnibus locis homines eodem modo ad se trahat? Quinimo secundum suæ sapientiæ ordinem, quo suaviter universa disponit, singulis temporibus congruentia adminicula providet humanæ salutis. Quid enim si quaeratur: Numquid dormitavit doctrina christiana à temporibus magistrorum doctorum Athanasii, Basilii, Ambrosii, Augustini, & aliorum qui circa illud tempus fuerunt, usque ad hæc nostra tempora, in quibus magis in doctrina christiana homines exercentur? Numquid secundum mirabilem eorum rationem, quidquid boni tempore aliquo intermissum fuit, illicitum erit resum? Sic enim & martyrium illicitum erit subire, & miracula facere, quia multo tempore sunt huiusmodi intermissa.

Quod vero sexto proponunt, quod illi qui possessionibus communibus carebant, vivebant de operibus manuum, hoc non minorem calumniam aliis quam religiosi ingerit: quia etiam Apostolus, qui Evangelium prædicabat, vivebat de opere manuali. Numquid ergo Episcopi, Archidiaconi, & quibuscumque ex officio competit Evangelium prædicare, peccant, si non vivant de opere manuali? Si autem ad hoc non tenentur, quia Paulus hoc non ex necessitate, sed supererogando faciebat; quid imponunt religiosi quicquid sancti Patres supererogando fecerunt? Nullus enim est qui omnes supererogationes possit implere, cum unus in uno, & alius superabundet in alio. Si vero non supererogationis, sed necessitatis esse dicitur eos qui possessionibus communibus carent, de labore manuum vivere; fateor quidem quantum ad hoc necessitatis esse ut non otiose vivant. Sed otium non solum per laborem manuum tollitur, sed multo melius per sacræ Scripturæ studium, quod otium habet magnum negotium, sicut Augustinus dicit: unde super illud Psalm. *LVIII. Defecerunt oculi mei &c.* dicit Glossa: „Non est otiosus qui verbo Dei tantum studet; nec plures est qui extra operatur, quam qui studium cognoscendæ Divinitatis exercet. Ipsa etiam sapientia maximum opus est.“ Tollitur etiam otium per laborem doctrinæ, quo contra hostes fidei

dimicatur, secundum illud Apostoli: *Labora sicut bonus miles Christi Jesu: II. ad Timoth. 11. 3.* ubi dicit Glossa: „In prædicando Evangelium contra hostes fidei.“ Fateor etiam hoc necessitatis esse his qui aliunde non habent de quo licite vivant. Licetum est autem Evangelistis etiam monachis ut de Evangelio vivant, & de altaris ministerio, sicut Augustinus dicit in Lib. de opere monachorum: alioquin numquid illas solas possessiones communes monachis licet habere quas possunt lucrari de opere manuali? Nonne autem derisibilis est, si quis dicat licere religiosi in eleemosynam amplas possessiones accipere, non autem eis licere accipere de fidelium eleemosynis ea quæ pertinent ad quotidianum & simplicem victum? Sic igitur nulla necessitas imminet his qui communes possessiones non habent, manibus operari. De hoc tamen diffusius à nobis dictum est.

Jam vero quod septimo propositum est, magis derisione quam responsione dignum est. Quis enim non videat in immensum majoris sollicitudinis esse possessionibus procurandis curam impendere, ad quod vix seculares sufficiunt, quam acquirere simplicem victum ex fidelium pietate collatum, & clementia divina provisum?

Quod vero octavo propositum est de hoc quod religiosi necesse habent circa eorum negotia sollicitari à quibus pascuntur; fateor quod habent quidem, sed circa spirituales eorum salutem, vel ut tribulationes consolerentur, quæ quidem sollicitudo est charitatis, unde religioni non repugnat; quinimo ut dicitur Jacob. 1. 27. *religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum.*

Quod autem ultimo propositum est, omnino est frivolum: quia ea quibus utuntur religiosi ad sustentationem vitæ, non sunt eorum quantum ad proprietatem dominii, sed dispensantur ad usum necessitatis eorum ab his qui harum rerum dominium habent, quicumque sint illi.

Hæc igitur sunt quæ ad præsens scribenda occurrunt contra errorum, & pestiferam doctrinam avertentium homines à religionis ingressu. Si quis autem his contradicere voluerit, non coram pueris garriat, sed scribat, & scripturam proponat in publico, ut ab intelligentibus dijudicari possit quod verum sit, & ut quod erroneum est, auctoritate veritatis confutetur.

# IN SEQUENS OPUSCULUM FR. JOANNIS FRANCISCI BERNARDI MARIE DE RUBEIS ORDINIS PRÆDICATORUM ADMONITIO PRÆVIA,

De officio in festo Sacratissimi Corporis Christi, quod integrum confecit Sanctus Thomas Aquinas: deque alio Officio nunc primum in lucem prodeunte, ejusque Auctore: itemque de Opusculis Aquinatis suppositis de Venerabili Sacramento Altaris.

## CAPUT I.

*Sacratissimi Corporis Christi Festum institutum Leodii: compositumque Officium à Joanne Clerico. Eadem ad universam Ecclesiam à Summo Pontifice Urbano IV. extensa solemnitas. Ipsius jussu novum à S. Thoma Aquinato confectum Officium. Specimen ejus: itemque mutationes postea inventæ.*

**I.** Sacratissimi Corporis Christi Festum primo apud Leodienses institutum fuit, Juliana Montis Cornelli Sanctimoniali, & Eva Reclusa hortantibus, agente Roberto Leodii Episcopo, & adjuvante Hugone de Sancto Caro primo Priore Provinciali Ordinis Prædicatorum, tum S. R. E. Cardinali, & Sedis Apostolicæ per Alemanniam Legato. Datæ abs Roberto epistola anno 1246. quibus Universis Diocæses personis Ecclesiasticis iniungebatur, ut ipsam Solemnitatem singulis annis, die ad hoc statuto, cum Officio proprio celebrarent. Morte Episcopi, quæ eodem anno contingit, ceptam negotium novæ solemnitatis intermissum. Paucos post annos illud executioni mandavit Hugo Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legatus, datis Leodii litteris *IV. Kal. Januarii, Pontificatus Innocentii IV. anno decimo, ære vulgaris 1252.* Statutum ergo: quod proxima quinta Feria post Octavas Pentecostes, Festum de hoc excellentissimo Sacramento infra omnes Legationis terminos celebraretur, cum novem lectionibus, Responsoriis, versiculis, Antiphonis propriis, super hoc specialiter ordinatis. Hæc latiore calamo referuntur omnia in ejusdem Julianæ Actis apud Bollandi Continuatores ad diem *V. Aprilis, Libro II. Capp. 11. 111. IV.*

Injunxerat componendum tantæ solemnitatis Officium probatissima Juliana cuidam Fratri domus suæ, Joanni nomine, juveni quidem, sed plurimum innocenti. Munere imposito ut fungeretur, percurrens multorum Sanctorum libros, sicut apud prudentissima, divinarum Sententiarum flores legebat, Sacramenti Corporis & Sanguinis Christi dulcedinem sapientes: ex quibus confectum est totum Officium novæ solemnitatis, Nocturnum & Diurnum, in Hymnis, Antiphonis, & Responsoriis, Lectionibus, Capitulis, Collectis & aliis omnibus propriis. Acta quæ laudavimus, consule Libro II. Capite 11. num. 9. ubi Continuatores Bollandi in Notis Codicum MS. Ruberæ vallis afferunt, cum his verbis: „Hoc Officium incipit, *Animarum cibis*; & reperitur plenum in Ecclesia Tungrensi, & aliis locis.“ Hoc illud Officium est, quod ante obitum Robertus Episcopus Leodiensis describi curavit, ad suæ Diocæses Ecclesias transmittendum. Sic enim habent Acta Capite 111. num. 13. Libro II. *Circiter viginti officia ipsius Festivitatæ fecit de proprio conscribi, volens ea ad habendam copiam per loca distribui opportuna.* Illud etiam Officium, & omnia in ipso contenta, (ut num. 14. narrare pergit Auctor,) diligentioribus oculis considerans, & perscrutans Hugo Cardinalis & Legatus, nihil addendum, nihil mutandum arbitratus est, cuncta decenter inveniens ordinata.

Firmior, & inconversa per futura sæcula ut nova solemnitas in Ecclesia Leodiensi permaneret, non infamam bonorum suorum partem Ecclesiæ S. Martini contulit Stephanus Canonicus cum Maria Sorore: itemque Joannes de Lauduno, Ecclesiæ prædictæ Canonicus, Octavam Corporis Christi in eadem S. Martini Basilica fundavit. Hæc narrant Acta Libro II. cit. Capite 11. num. 6. & 19. Neque demum silentio prætereundum, quod superiori Capite 11. num. 7. traditur: Julianæ Sanctimonialis votum expendisse, & adprobasse Jacobum de Trevis, tunc Archidiaconum Ecclesiæ Leodiensis, postea Virtunensem Episcopum anno 1252, & Patriarcham Jerosolymitanum anno 1255, ac demum Romanum Pontificem anno 1261. sub nomine Urbani IV.

II. Occasione data insignis miraculi, quod in Italia accidit Bolsenæ non longe ab Urbe veteri, idem Sanctissimus Pontifex percurus, Sacratissimi Corporis Christi solemnitatem in Ecclesia universa celebrandam indixit. Annum definit Theodoricus Vallicolor in ejus Vita metricè scripta.



Hocque sui terno Papatus fecit in anno

qui tertius annus die 29. Augusti anni 1263. initium habuit. Hac de re elegantissimum Diploma editum, quod in Romano Bullario præstat, datum apud Urbem Veterem anno 1264. non die octava Septembris, ut communiter habent Scriptores, Cajetano Maria Merato adnotante Tomo I. Thesauri Sacrorum Rituum Gavanti, sed die 11. Augusti juxta Originale, in Archivio Secreto Bibliothecæ Vaticanæ adservatum. Datæ etiam ad Evam Reclusam literæ sexto idus, seu die 8. Septembris, Pontificatus anno quarto, Christi 1264. quibus Virgini probatissima nuntiavit Summus Pontifex Festi institutionem in Ecclesia universa. Intergras afferunt Bollandi Continuatores post Acta S. Julianæ ad diem V. Aprilis cap. 1x. et in Propylæo Maji Dissert. xx111. Digna sunt animadversione, quæ in ipsis leguntur verba, ad Officium attentiora: *Et quia Quaternum, in quo ipsius Festi habetur Officium, tibi sub Bulla nostra per latorem presentium destinamus, volumus et per Apostolica scripta tibi mandamus, quatenus Quaternum ipsum cum devotione recipias, et ejus copiam personis illarum parentibus exhibeas liberaliter, et libenter. Quod novum appellat Officium Theodorici Vallicolor loco superius citato:*

Officiumque novum continet ista dicta.

Eandemque rem testatur Codex Ms. Ruber-vallis apud Bollandi Continuatores, ubi hæc habentur: „Hoc Officium (à Joanne Leodiensi compositum) incipit, Animarum cibus: & reperitur plenum in Ecclesia Tungrensi, & aliis locis. Deinde Urbanus IV. Officium, quod ubique cantatur, instituit.“

III. Institutum, compositumque, jussu Urbani IV. Officium, norum fit competentique. Opus illud esse Sancti Thomæ Aquinatis, produnt veteres, synchroci, supparesque, Scriptores. Ptolomæus de Luca in Hist. Eccl. Lib. xx11. cap. xxiv. hæc habet: „Officium de Corpore Christi fecit ex mandato Urbani. . . . Hoc autem fecit completum: & quantum ad Lectiones, & quantum ad totum Officium, tam Diurnum quam Nocturnum, quam etiam ad Missam, & quidquid in illa die cantatur. In qua Historia, (Responsoria Nocturnorum intelligunt Rubricæ nostræ) si attendimus ad verba scribentis, quasi omnes figuræ veteris Testamenti in hoc Officio videntur contineri, luculento & proprio stylo adoptatæ ad Eucharistiæ Sacramentum. Par est testimonium Guillelmi de Tocco in Vita cap. 1v. num. 16. „Scriptis Officium de Corpore Christi, de mandato Papæ Urbani: in quo omnes, quæ de hoc Sacramento sunt, veteres figuræ expressit, & veritates quæ de nova sunt gratia, compilavit.“ Tertius testis accedit Bernardus Guidonis: Item mandante sibi Domino Urbano Papa, dictavit & ordinavit totum Officium Ecclesiasticum de Corpore Christi, tam Diurnum quam Nocturnum: quam etiam (Officium) Missa. Rem tradunt eandem Valletanus, & Sanctus Antoninus.

Apud Joannem de Columna, synchronum Scriptorem, in Codice Ms. de Viris illustribus, hæc habentur: *Compositum autem & hic scripsit, & Sanctus Doctor Officium de Corpore Christi, quo ævoctus in Ecclesia Dei non dicitur, nec canitur.* In Admonitione Tomo I. præmissa pro animi candore Opus Joannis de Columna interpolatur, ut agnovi, ita lectores etiam admonitos volui vitamque adhuc egisse Interpolatorem anno 1332. inconcussa argumentis ostendi. Id habeo tamen, quod cause nostræ maxime favet, Thomæ Aquinatis Officium, quod ætate persolvebatur, tributum fuisse. Rem confirmat luculentissime Historia translationis corporis Doctoris Angelici, quæ ad annum V. apud Bollandi Continuatores ad diem vii. Martii cap. 111. num. 12. „Magister Generalis . . . post vespæ ejusdem Festi Corporis Christi, Pontificem Urbanum V. adiit: tuncque Magister cepit proponere verbis, ut sequitur . . . quod Sanctus Thomas de Ordine nostro, ad mandatum Domini Urbani Papæ IV. ordinavit Officium hodiernum. Et statim ad hoc Dominus Papa: *Hoc nego tibi, doce.* Tunc Magister allegavit Legendam (Guillelmi de Tocco) & communitur hominum opinionem. Ibidem etiam Dominus Comes Nolanus, & omnes Domini Cardinales, quasi clamando testimonium dederunt: quod dictus S. Thomas Festi Corporis Christi Officium veraciter, & excellenter, subtiliter ordinasset. Post hoc Dominus Papa dixit: quod verum erat.“

IV. Officium istud inter Opuscula num. LV11. præstat, recensitum ab Editoribus Romanis. Specimen ejus exhibere præstat, ut quæ inferius dicenda sunt, quisque facillime, quin edita pervolvere cogatur exempla, adsequi valeat. „Ad primas Vesper. Ant. Sacerdos in æternum. Psalm. Dixit Dominus. Ant. Misera-tor & miseris cordis Dominus. Psalm. Confitebor, Ant. Calicem salutaris. Psalm. Credidi. Ant. Sicur novel-læ olivarum. Psalm. Beati omnes. Ant. Qui pacem ponit. Psalm. Laudæ Jerusalem. Capitulum. Dominus Jesus in qua nocte. Responsor. Homo quidam fecit cenam magnam. Hymnus. Pange lingua gloriosi. Versicul. Panem de celo. Ad Magnif. Ant. O quam suavis est Oratio: Deus qui nobis in Sacramento. Ad Completor. Ant. Miserere Psalm. Cum invocarem &c. Ad Nunc dimittis, Ant. Alleluja. Panis quem ego dederō.

„Ad Matut. Invit. Christum Regem. Psalm. Venite. Hymnus. Sacris solemnibus. In 1. Noct. Ant. Fructum salutiferum. Psalm. Beatus vir. Ant. A fructu frumentii. Psalm. Cum invocarem. Ant. Communionem Calicis. Psalm. Conserva. Vers. Panem cæli. Lectio 1. Immensa divinæ largitatis beneficia. Resp. Immola-bit hædum. Lectio 11. Ut autem tanti beneficii. Resp. Comeditis carnes. Lect. 111. Manducatur itaque à fidelibus. Resp. Respexit Elias. In 2. Noct. Ant. Memor sit Dominus. Psalm. Exaudiat. Ant. Paratur nobis mensa. Psalm. Dominus regit. Ant. In voce exultationis. Psalm. Quemadmodum. Vers. Civabit eos. Lectio 1v. Suavitatem denique hujus Sacramenti. Resp. Panis, quem ego dabo. Lectio v. Convenit itaque devotioni. Resp. Cœnantibus illis accepit. Lectio vi. Ut autem prædicta quinta feria. Resp. Accepit Jesus panem. In 3. Noct. Ant. Introibo ad Altare Dei. Psalm. Judica me Deus. Ant. Cibavit nos Dominus. Psalm. Exultate Deo. Ant. Exaltari tuo. Psalm. Quam dilecta. Vers. Educas panem. Lectio vii. secundum Joan-nem. Caro mea vere est cibus. Homil. Beati Augustini Episcopi. Cam enim cibo & potu. Resp. Qui manducat meam carnem. Lectio viii. Denique jam exponit. Resp. Misit me vivens pater. Lectio ix. Sicut me misit. Resp. Unus panis & unum corpus.

„Ad

„Ad Laudes Ant. Sapientia edificavit. Psalm. Dominus regnavit &c. Ant. Angelorum esca. Ant. Pinguis est. Ant. Sacerdos Dei. Ant. Vincenti dabo. Capitulum. Dominus Jesus. Hymnus. Verbum supernum. Vers. Posuit fines tuos. Ad Bened. Ant. Ego sum panis vivus. Ad Primam, & ad omnes horas antiphona Lau-dum. Resp. Jesu Christe. Vers. Qui natus. Ad Tert. Cap. Dominus Jesus. Resp. Panem celi. Ad Sext. Ca-pitulum. Quotiescumque manducabitur. Resp. Civabit eos. Ad Non. Capitulum. Quotiescumque manducaverit. Resp. Educas panem. Ad vesp. super Psalm. Antiphona Laudum, Psalm. Capitulum. Hymnus. Vers. sicut in 1. Vesp. Ad Magnif. Ant. O sacrum convivium. Oratio, ut in primis Vesp. Per Octavam Invitat. Christum panem Angelorum. Ad Bened. Ant. Ego sum panis vivus. Ad Magnif. Ant. Memoriam fecit. Cætera, ut in die. Missa, ut in Missalibus, additis ad Sanctus quibusdam interpolationibus.

Motiones aliquæ refero, quæ postea Pius V. Summus Pontifex invenit. Capitulum. ad 1. & 2. Vesp. & ad Laudes. Fratres ego enim accepi à Domino, absque Resp. pro more Ecclesiæ Romanæ. Lect. 1. 111. 111. ex Epistola 1. Beati Pauli Apostoli ad Corinth. cap. xi. Responsorium quartum Sancti Thomæ amorum, additumque de novo sextum, Ego sum panis vite. Per octavam Lectiones pro tribus Nocturnis juxta Romanæ Ecclesiæ ritum. Sunt etiam eodem in Officio, ritui Fratrum Prædicatorum accommodato, varietates aliquæ. Ad 1. vesp. una Ant. Sacerdos in æternum, cum quinque Psalm. Laudate. Una etiam Ant. ad 2. vesp. Sapien-tia, cum Psalm. apud Thomam. assignatis. Dixit Dominus &c. Per Octavam tres tantum Lectiones.

## CAPUT II.

Godefridus Henschenius, & Daniel Papebrochius censent, id unum ab Aquinate præstitum, ut prius Leodiense Officium meliorem in ordinem redigeret, reformaretque, paucis additis, juxta vocem Romanæ Curie. Vindicias agit validissimas Natalis Alexander: quæ uberius confirmantur.

I. Officium, quod Sancto Thomæ adjudicant probatissimi testes, ad examen vocent Godefridus Henschenius, & Daniel Papebrochius in Appendice ad diem 5. Aprilis. In eam abire sententiam num. 9. „Divum Thomam, quod juxta Ecclesiæ Leodiensis ritum composuerat Joannes, reformasse Officium secundum morem Romanæ Curie, mutatis detractisque iis, quæ mutanda detrahendaque occurrebant: & addito insigni, qui desiderabatur, ad Laudes hymno, Sacris solemnibus.“ Hinc neque novum dici debet, quod Urbanus IV. persolvendum Officium instituit: neque novi operis verus Auctor S. Thomas. Animadvertendum proponunt verbum illud, Ordinare, quod vetusti Scriptores usurparunt. Inde namque argumentum sumunt, minime de novo Thomam composuisse Officium; sed prius compositum in ordinem meliorem redeigisse, ac ritui Romano accommodasse. Diligentius conferantur, (inquirent illa duo Officia à Joanne Leodiensi, & ab Aquinate confecta: istud ex illo depromptum, facile constabit. Officii Thomæ specimen supra allatum est: specimen alterius ex vetusto Directorio, aliisque Mss. membranæ Leodiensis S. Martini Ecclesiæ profertur laudari Bollandi Continuatores.

Nempe „In 1. Vesp. Ant. Sacerdos. Psalm. Dixit Dominus (Cæteri Psalmi subintelliguntur, & antiphona. Hymnus. Pange lingua. Capitulum. Dominus Jesus. Resp. Homo quidam. Vers. Panem de celo. Ant. Ad Magnif. O quam suavis. Collecta. Da nobis quesumus. Ad Complet. Hymnus. Christus vere. Capitulum. Per homines. Vers. Posuit Dominus. Ad Nunc dimittis. Ant. Reple Domine. Collecta. Visita. In Mat. Invit. Christum Regem. (Absque hymno pro more Ecclesiæ Leodiensis.) In 1. Noct. Ant. Fructum salutiferum. Psalm. Beatus vir. (Cæteri psalmos, & antiphonas pro 2. & 3. Noct. subintellige, cum duplici vers. juxta ritum ejusdem Ecclesiæ.) Sex lectiones de Legenda Sacramenti. Immensa divinæ largitatis beneficia. Resp. 1. Immolabit (cum cæteris, quæ par est subintelligi.) Tres lectiones cum Evangelio. Caro mea vere est cibus. In Laudibus Ant. Sapientia, (cum reliquis.) Hymnus. Verbum supernum. Capitulum. Habemus altare. Vers. Posuit fines tuos. Ant. ad Bened. Ego sum panis vivus. Collecta. Deus qui nobis. Ad prim. Hymnus. Summe Jesu. Ant. Cælestis artifex. Ad Tert. Hymnus. Sacro tecta. Ant. Christus enim. Capitulum. benedictionis. Resp. Panem celi. Collecta. Deus qui Eccles. Ad Sext. Hymnus. Splendor. Ant. Illa nobis. Capitulum. Habemus. Resp. Civabit. Collecta. Cælesti luce. Ad non. Hymnus. Æterna cæli. Capitulum. Quotiescumque. Resp. Educas panem. Collecta. Deus qui fidelium. In Vesp. Ant. Sacramentum. Hymnus. Pange lingua. Capitulum. Quoties. Responsor. Misit me. Vers. Panem de celo. Ad Magnif. Ant. O Sacrum convivium. Collecta. Deus qui gloriosum. Ad Complet. ut supra. In crastino. & per Octavas tres lectiones de ipsius Legenda, & tria Respons. In Laudibus. Ant. Animarum cibus. (Alia Antiphona pro aliis Octavæ diebus.)

Totum hoc Officium, quantum est, à Joanne Leodiensi compositum fuisse, existimant Bollandiani Scriptores. Hinc sequitur vero, illud ipsum non nisi reformatum ab Aquinate, ordinatumque secundum ritum Romanæ Curie. Hymnum, Sacris Solemnibus, composuit, addiditque Thomas: quod utique longe cæteris duobus præstare iniqui illi, vi poetica, & masculi vigoris majestate.

II. Pro vero Officii Venerabilis Sacramenti Auctore, Sancto Thomæ Aquinate, vindicias agendas adstumpsi Natalis Alexander, edita luculentissima Dissertatione contra RR. PP. Henschenii, & Papebrochii conjecturas. Pressiore stylo recusa præstat hæc eadem Dissertatio Tom. VII. Historiæ Ecclesiasticæ in fol. Rem agit validissimis argumentis: quæ refero, & confirmo, ac roboro.

Vano & irrito conatu verbum illud, Ordinare, animadvertendum proponitur: ac si Officium aliquod prius in meliorem dumtaxat ordinem redegerit Aquinas, de novo non composuerit: cum notum sit, verbum, Ordinare Lib. II. cap. 111. num. 14. dicitur Hugo Cardinalis Officium Joannis Leodiensis considerasse, & omnia invenisse decenter ordinata. Num colligas Officium illud de novo non fuisse à Joanne confectum? An vero vetusti, synchroci, supparesque, Scriptores unum illud verbum ordinandi usurpaverint? Aut Ptolomæus de Luca, Fecit: Guillelmus de Tocco, scripsit: Bernardus Guidonis, dictavit, & ordinavit: Joannes Thomam, aut vetustus Interpolator, composuit. Nondum satis. Testantur Ptolomæus, & Bernardus Thomam Officium fecisse, seu Responsoria, seu Responsoria, & quidquid illa die cantatur. An ita facere, & ordina-

Tt

10 -



re nihil aliud fuerit, quam opus ab alio confectum in meliorem ordinem redigere, ac unum de novo Hym-

Longe diversum confecerat Joannes Leodiensis, ut Beate Julianæ votis annueret. Specimen ejus præbet

Accedit, in Codice Ms. Rubec. vallis, Officium à Joanne compositum incipere, Animarum cibus: quæ

In Notis ad Acta Beate Julianæ, specimen Officii à Joanne Leodiensi compositi præbentes Continuatores

Utriusque Officii diligentiore collatione facta, (inquiunt) præsto cuique coniectandæ ratio fuerit, Offi-

Verissimam Natalis Alexandri responsionem hanc exempla confirmant altarum particularium Ecclesiarum,

Christus vere noster cibus, Christus vere noster potus: Caro Dei vere cibus, Sanguis Dei vere potus.

Per quod viget religio, per quod cœlum ingreditur, mensura mensuris mensuris ni-

Ut tam pii vaticii delectetur dulcedine. O cœlestis convivium! ô redemptorum gloria!

Præsta Pater per Filium, præsta Pater per alium Spiritum, Quibus hoc das edulium, prosperum servés exitum.

Priorem revocat Papebrochius opinionem. Dupinius, & Grancolas resellunt. Itemque resellitur Waingus, qui

I. Expostulatione Natalis Alexandri visa & expensa, sententiam revocant Bollandiani. Satisfactio-

II. In ejus atamen opinionem priorem abijt Dupinius in Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum:

Versiculum quarti Responsorii Dixerunt Viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus ut saturerur?

III. Prosam, Lauda Sion Salvatorem; quæ in officio Missæ decantatur, eripit Aquinati Lucas Vvadingus,

Officium Corporis Christi, Hymni exceptis, & Capitulis, longe diversum exhibetur. Animadversiones. Sancti

I. Longe diversum proferre in lucem Sacratissimi Corporis Christi Officium mihi liceat, quod exerat in



memoria datur nobis in cœna regia: nam in cibum ex sola gratia dat se nobis paschalis hostia. *Capitulum.* Dominus Jesus Christus. *Respons.* Terminatis legalibus, ut *infra.* *Hymnus.* Pange lingua gloriosi. *Vers.* Panem de celo. *Ad Magnif. Ant.* Transit Christus ad patris solium, habens secum turbam fidelium: panem firmans mentes debiliorem transformato in corpus proprium. *Oration.* Deus qui nobis. *Ad Matut. Inuit.* Carnis Dominice datum edulium laudet mirifice turba fidelium. *Hymnus.* Sacris solemnibus. *In v. Noct. Ant.* Lignum in mundo complantatum sacre virginis, nobis gratiæ tempore fructum dedit dulcedinis. *Psalms.* Beatus vir, cum reliquis. *Ant.* Vinum factum sanguinem Christus elongavit, ex quo mens dulcedinem spiritus sortitur. *Ant.* Dominus sors calicis, & hæreditatis, calice quos refecit iunge beatis. *Vers.* Panem de celo.

*Leitio 1.* (1) Transiens de mundo ad Patrem Salvator noster Dominus Jesus Christus, cum tempus passionis instaret, sumpta cœna, in memoriam mortis suæ instruit summum & magnificentum sui Corporis & Sanguinis Sacramentum, corpus in cibum, & sanguinem in potum tribuendo. Nam quotiescumque panem hunc manducamus, & calicem bibimus, mortem Domini (2) nuntiamus. In institutione quidem huius salutiferi Sacramenti, dixit ipse Apostolis: Hoc facite in meam commemorationem, ut præcipuum memoriale sui amoris eximil, quo nos dilexit, esset nobis hoc (3) pretiosum & venerabile Sacramentum. *Respons.* Mundum vocans ad agni nuptias, hora cœnæ paternitatis sanguini variis parat delicias. *Vers.* Ad hoc convivium tam per magnificentum vocat per Filium, cœterum catholicum. Saginatio.

*Leitio 11.* (4) Memorabile est, inquam, mirabile, ac stupendum, delectabile, ac suave (5) charissimum, & super omnia pretiosum: in quo innovata sunt signa, & mirabilia immutata. In quo habetur omne delectamentum, & omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur. In quo utique vitæ suffragium consequimur, & salutis. Hoc est Memoriale dulcissimum, Memoriale sanctissimum, Memoriale salvificum: in quo gratiam redemptionis nostræ recensemus memoriam. In quo à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum profectum incrementum. In quo profecto (6) refectimur ipsius corporali presentia Salvatoris. *Resp.* Datum mundo in vitæ ferculum Corpus Christi, Sanguis in poculum, mutant digne sumentem populum tam sanctum pabulum. *Vers.* Pater namque proprium Filium viatori dat in solatium. Tam sanctum.

*Leitio 111.* Alia namque, quorum memoriam agimus, spiritu menteque complectimur, sed non propter hoc realem eorum presentiam obtinemus. In hac vero Sacramenti Christi commemoratione ipse Christus presens (7) corporaliter, & veraciter est nobiscum. Ascensurus enim in cœlum, dixit Apostolis eorumque sequacibus: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Benignus (8) ipsius promissione confortantur, quia remaneret & esset cum eis etiam per presentiam corporalem (9). Qua morte nostram recolimus mortuum, nostrumque interitum vite obtit interitæ: ac lignum vivificum ligno mortis affixum, fructum nobis attulisse salutis. *Resp.* Verbum caro carni conjungitur, in qua panis natura vititur, verus cibus conficitur, quo Christus sumitur. *Vers.* Sole panis remanent species, in quas sensus intendit acies. Verus cibus Gloria.

*In 2. Noct. Antiph.* Sacrificii Domini memor esto fidelium, quibus carnis cum sanguine das pingue sacrificium. *Psalms.* Laudat. *Ant.* Præclarus est Calix inebrians, præparata mensa nos satians, ne tribulet hostis insidians. *Psalms.* Dominus regit. *Ant.* Vera fiat confessio, adsit & exultatio, sonus sit in convivio euphantis cum gaudio. *Psalms.* Quemadmodum. *Vers.* Cibavit eos.

*Leitio 1v.* Hæc commemoratio gloriosa, quæ fidelium animos replet gaudio salutari, & cum infusione lætitiæ, devotionis lacrymas subministrat. Exultamus nimirum, nostram memorando libertatem, & recolendo passionem Dominicam, per quam liberati sumus, vix lacrymas continemus. In hæc istaque sacratissima commemoratione adstant nobis suavitatis gaudium, simul & lacrymæ, quia & in ea (10) gaudeamus pie lacrymantes, & lacrymamur devote gaudentes: lætas habendo lacrymas, & lætitiæ lacrymantem. Quia & cor nostrum ingenti perfusum gaudio, (11) per oculos stillat guttas. O divini amoris immensitas, (12) nimis pietatis abundantia, divinæ affluentia largitias! *Resp.* Pauperibus parat convivium Jesus, in cœna datus corpus ipsum, ut in via sit viaticum, qui futurus est eis præmium. *Vers.* Apostolos signat character, ut deinceps possint conficere. Qui futurus.

*Leitio v.* Dedit enim Dominus omnia quæ subiecit sub pedibus nostris, & super universas terre creaturas contulit nobis dominii principatum: & ministris (f. ministeriis) spirituum supernorum nobilitat, & sublimitat hominis dignitatem. Administratorii namque sunt omnes in ministerium propter eos, qui hereditatem capiunt, destinati. Et cum tam copiosa fecerit erga nos ejus magnificentia, volens adhuc ipse in nobis suam exuberantem charitatem præcipua liberalitate monstrare, semetipsum nobis exhibuit: & transcendens omnem plenitudinem largitatis, omnemque modum dilectionis excedens, tribuit se in cibum. Quam singularis, & admiranda liberalitas, ubi donatur vitæ in donum, & datum est idem penitus cum datore! *Resp.* Panis oblatus cœlitus in altari proponitur, ex quo bene dispositus homo mente reficitur. *Vers.* Confortantem cor panem sumite, & pro vino sanguinem bibite. Ex quo.

*Leitio vi.* Quam larga, & prodiga largitas, cum tribuit quis seipsum! (13) Et sic largiendi superabundant affectus, quo amplioribus rerum sparsa donariis, in largitionem insuper effunditur largitoris, tanto plenius adimpleta, quanto copiosius effusa. Dedit ergo se nobis Salvator in pabulum, (14) per cibum ipse nos relevaret ad vitam. Et qui cecidit homo per cibum ligni mortiferi, est homo per cibum ligni vitalis. In illo pendit esca mortis, in isto vitæ alimentum. Illius usus inulit lesionem, istius gustus attulit sanitatem. Gustus sauciavit, & gustus sanavit. Et unde (15) malum est ortum, prodit & medela: & unde

(1) Transiurus, in Bulla Urbani IV. (2) annuntiamus. (3) præcelsum. (4) Memoriale. (5) turissimum. (6) profectum. (7) sub alia quidem forma, in propria vero substantia est nobiscum. (8) ipsos. (9) confortando. (10) O digna, & nunquam intermittenda memoria, in qua. (11) congaudemus. (12) dulces per oculos. (13) divinæ pietatis superabundantia. (14) Hæc in Bulla Urbani IV. desiderantur verba usque, dedit. (15) Quia per mortem homo conuertat. (16) valens.

mors subit, exinde vita venit. De illo siquidem gustu dicitur: Quocumque die comederis, morieris. De isto legitur: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. *Resp.* Granum excussum palea, cædens in terram moritur: surgit messis triticea, de qua panis conficitur, quo in altaris area plebs Christiana pascitur. *Vers.* Nisi lotus ab omni scelere, non presumat panem hunc edere. Quo in altaris Gloria.

*In 3. Noct. Ant.* Lærus introibo ad altare Dei, in quo vescor carne Salvatoris mei. *Psalms.* Judica. *Ant.* Cibavit ex adipæ Christus non frumenti: illud ergo suscipe cum corde fruenti. *Psalms.* Exultate. *Ant.* Tur-tur est Ecclesia, pulli plebs fidelis, quibus dant altaria pabulum de cœlis. *Psalms.* Quam dilecta. *Vers.* Educas panem de terra.

(Homil. ut in Opusculo S. Thomæ.) *Resp.* 7. Felix vitis, quam pater omnium transplavit in hoc exilium, de qua fluit vinum egregium, potus fidelium. *Vers.* In fide divites sunt hujus vitis palmites, De qua. *Resp.* 8. Discedentem hic Dei filium digne laudet fidelis concio: tunc se dedit nobis in... pretioso pasces convivio. *Vers.* Quicumque digne se reficit, & cœli... perficitur. Pretioso. *Resp.* 9. Terminatis legalibus cibus, Christus insinuat pascha novum fidelibus, quibus se cibum præbuit: in quo præsens creditibus, hinc discedens, non desuit. *Vers.* Præsens in mentis oculis sub Sacramenti specie semper est cum discipulis. præbens fluentia gratiæ. In quo. Gloria.

*Ante laud. Vers.* Oculi omnium in te sperant Domine. *Resp.* Et tu das illis escam in tempore opportuno. *In laud. Ant.* Adest dies lætitiæ collegio fidelium, quibus præbet quotidie Domini corpus proprium. *Ant.* Pauper Sanctorum omnium carnem assumendo, nutrit gregem ovium, hac carne pascendo. *Antiph.* Scala cœli ponitur Christus, quam tenendo grex fidelis pascitur, ad cœlum tendendo. *Ant.* Lingue laudent, Domine, te nostrum pastorem, qui carne cum sanguine pascis viatorem. *Ant.* Fulget mater Ecclesie in supernis choris, cibata carne propria nostri Salvatoris. *Capitulum.* Dominus Jesus. *Hymnus.* Verbum supernum. *Ad Bened. Ant.* Carnis cibum, & potum Sanguinis escam nobis dat cœli agminis, ut in hujus campo certaminis virtute firmetur, cor hominis.

(Ad Tert. & reliquis Horas Capitula, & Respons. ut in Officio Sancti Thomæ.) *Ad Magnif. Ant.* O lumen Ecclesie, cibus viatorum, & corona gloriæ cœteris beatorum: corpus tuum hodie venerantem chorum, duo soluta scarie ad regna cœlorum. *Per octavam ad Bened. An.* In conspectu nostro mensam præparasti Christe Deus, temetipsum dans in pensa, non me laudet hostis meus. *Ad Magnif. Ant.* Adeps admirabilis nobilis frumenti, potus delectabilis datur Sacramenti.

II. In hoc Officio, ut jam cuique constat, communia sunt cum illo Sancti Thomæ, Capitula, Hymni, Versiculi, Lectiones de Homilia, Responsoria horarum: cætera innotescunt diversissimè. Sex Lectiones priores ex Bulla Urbani IV. depreptæ sunt. Auctorem ex Ordine Prædicatorum quisque agnoscat, qui paulo attentius animadvertit, sibi in Officio Sacramenti conficiendo, imitandum proposuisse Officium Sancti Dominici, quod confectum à Beato Jordano aliqui arbitrantur, aliique à Constantino Medice, U rbevetano Episcopo, qui vita migrasse anno 1258. creditur. Collatio sequens rem patefacit omnem.

In 1. Vers. Ant. super Psal. Gaude Felix parens Hispania.

Ad Magnif. Antiph. Transit pauper ad regni solium.

- Respons. 1. Mundum vocans ad agni nuptias.
- Respons. 2. Datum mundo pro mundi gloria.
- Respons. 3. Verbum vitæ.
- Respons. 5. Panis oblatus cœlitus.
- Respons. 6. Granum excussum palea.
- Respons. 7. Felix vitis.

In Officio Sacramenti. Ant. Gaude felix parens Ecclesia.

Ad Magnif. Antiph. Transit Christus ad patris solium.

- Respons. 1. Mundum vocans ad agni nuptias.
- Respons. 2. Datum mundo in vitæ ferculum.
- Respons. 3. Verbum caro.
- Respons. 5. Panis oblatus cœlitus.
- Respons. 6. Granum excussum palea.
- Respons. 7. Felix vitis.

Quinque demum Antiphonæ Laudum, ad Benedictus, & ad Magnificat idem utrobique initium habent: Adest dies lætitiæ, Pauper, Scala, Lingua, Fulget, Carnis, O lumen Ecclesie.

III. Quisnam fuerit Auctor? Non esse Aquinatem, compertissimum est. Peremptorium unum adhibeo argumentum. Veteres namque Scriptores, Prolomæus de Luca, & Guillelmus de Tocco, luculentissime testantur, in Officio Sacramenti, quod Aquinas composuit, quasi omnes Veteris Testamenti figuras comprehensas fuisse, adaptatas ad Eucharisticum Sacramentum: quæ non habentur ultra in hoc, quo de agimus, Officio. Papebrochius in Propylæo Maji in Paralipomenis Dissert. XLIII. al. XLIII. recenset ejusdem Festivitatæ aliud Officium proprium, à Joanne Carolo Florentino Ord. Præd. compositum. Vita migravit ille anno 1503. vel 1515. unde recentior est, quam ut superius Officium eidem tribui queat. Inter Opera Alberti Magni, quæ nondum lucem viderunt, ex Laurentio Pignon, & Ludovico Valleoletano refert Echardus, Unum Officium de Corpore Christi, quod non est in usu communi Ecclesie, cum diversis Prosis de eodem Sacramento. An ergo Officium superius tribui Alberto debeat? Divinare nolim.

Fuerit ne præterea alicubi in usu apud Fratres Prædicatores? Illud ego primum conjeçtor, Breviarium, in quo prædictum prostat Officium, in usu fuisse in aliquo Germaniæ Cœnobio: Sancti namque, Sanctæque plures, quæ in Litanis in eodem descriptis invocantur, peculiari in Germania colebantur veneratione, Faldariensis, Columbanus, Gallus, Othmarus, Magnus, Fida, Verena. Item animadvertere præstat, Institutionem solemnissimam, Bullamque Urbani quarti, ob tumultus bellicos, quibus Europa pene tota agitabatur, suum effectum adsecutum non fuisse: Bullam eandem iterum anno 1311. à Clemente V. peculiari confirmatam Constitutione, quam Reges Galliæ, & Angliæ, & Aragoniæ susceperunt: susceptamque demum in universa Ecclesia post aliam à Joanne XXII. editam Constitutionem anno 1316. Quidni prædictum Officium intra illud temporis intervallum in aliquo Cœnobio Germaniæ celebratum fuerit? Hæc hæc fortasse ex eo colligi potest, quod in Litanis memoratis Festum Sancti Thomæ additum in margine legitur, idemque Festum in Calendario præmisso alia manu ad Nonas Martii scriptum videtur: quod utique factum post



post annum 1323. quod Doctor Angelicus Sanctorum fastis ascriptus fuit. Quo ex tempore, nulla videtur dubitandi ratio, quin Officium Sancti Thomæ susceperint particulares omnes Ecclesiarum, rursus moribusque propriis accommodatum.

## CAPUT V.

*Opuscula duo, de Venerabili Sacramento Altaris, & de Sacramento Eucharistiæ, non sunt Aquinatis. Eorum auctor ignotus.*

I. **N**ter Opuscula, post Officium Sacratissimi Sacramenti, elucubrations duæ num. LVIII. & LIX. recensentur: prima, de Venerabili Sacramento Altaris: altera, minori caractere vulgata de Sacramento Eucharistiæ ad modum decem Prædicamentorum. Neutrâ veteres diligentissimi Nomenclatores memorant. Hanc in utrumque Opusculum censuram exercet Barbavari: „Opusculum LVIII. de Sacramento altaris communi quidem, atque eruditionem Aquinate non indignam præferret; sed versatur in exemplis quibusdam abjectioribus. Quale illud est, cap. 1x. quod Sacramentum pastillo non semel comparat. Insuetis, & omnino vocibus barbaris utitur, quales sunt illæ, ibidem: *Pluviarium pro nimbo, vitrificus pro artifice vitrorum, conjunctus pro indiviso*, & id genus. Illa etiam distinctio trimembris signorum, ibidem, in *naturalia, artificialia, & sacramentalia* prorsus arte caret, cum Sacramenta sub altero priorum membrorum cadant, utpote quæ arte divina posita atque instituta sint. Talis etiam est illa cap. xvii. *Quidam*, inquit, *manducant, & non manducant: alii non manducant, & tamen manducant: alii manducant, & non manducant.* Eadem sæpius reperit usque ad nauseam. In altero ejusdem argumenti Opusculo LIX. eadem deprehenduntur vitia: quare vel utrumque, vel neutrum obelo notandum est. Opusculo LIX. eadem deprehenduntur vitia: quare vel utrumque, vel neutrum obelo notandum est. Opusculo LIX. eadem deprehenduntur vitia: quare vel utrumque, vel neutrum obelo notandum est.

II. Opusculum prius prostat inter Opera Alberti Magni Tomo xli. non in capita xxxi. sed totidem in sermones tributum, cum Prologo, qui desideratur apud Sanctum Thomam. Annuit Jacobus Echardus, ut hoc Opusculum, vel Sermones Alberto Magno adjudicentur: non consentit Oudinus ob vocum aliquarum barbariam, quæ Magnam etiam Albertum dedecere videntur.

Hujusce Opusculi facta comparatione cum altero, de Sacramento Eucharistiæ ad modum decem Prædicamentorum, certiore istud fundamentum, quam illud abjudicandum Thomæ, pronunciat Casimirus Oudinus. Hæc ejus in hanc rem argumenta. Secundo namque Capite fabulosa narratio allegatur Sancti Joannis Evangelistæ, *convertentis virgas lignas in auras, & lapides arenas in lapides pretiosos.* Capite tertio Scholæ doctores vocantur Doctores Catholicæ, cum tamen Aquinas eos appellare Magistros consueverit. Et capite quinto, ubi de intentione Ministrum ad consecrandum requisita agitur, Scholasticorum aliqui dicuntur Doctores summi & maximi, titulo utique haud ipsi consueto. Verus itaque Opusculorum auctor latet. Hæc veritas satis.

## DIVI THOMÆ

## AQUINATIS,

## OFFICIUM DE FESTO CORPORIS CHRISTI,

## AD MANDATUM URBANI PAPÆ IV.

## DICTUM FESTUM INSTITUENTIS,

## OPUSCULUM XIX. \*

\* AI. LVII.

## ROMANI EDITORIS

## PRÆLOQUIUM

## IN OPUSCULUM SEQUENS,

## Ex Chronica quæ appellatur Supplementum Chronicarum.

**U**rbani Papa IV. Pontificatu suscepto instituit solemnitatem Corporis Christi cum processionibus, & octavis à cunctis fidelibus celebrari: pro quibus indulgentias maximas concessit, ejusque Officium ex veteris testamenti figuris per Divum Thomam Aquinatem censuit esse faciendum. Hoc idem habetur in ejusdem beati Thomæ legenda, & in pluribus aliis Chronicis, videlicet Ptolemæi Lucensis, Beati Antonini Archiepiscopi Florentini, & alibi. Hoc etiam probatum fuit in apostolico Consistorio, in presentia Domini Papæ Urbani V. dum de translatione corporis ejusdem Doctoris S. Thomæ tractaretur, quod fuit anno Domini 1379. Et tunc ejus corpus sanctissimum ad Conventum Tolosanum Ordinis Prædicatorum translatum fuit. Nam ab ejus obitu felici usque ad illud tempus in monasterio Fossæ novæ sub deposito jacuerat. Et quia ad instantiam Romani Pontificis illud Officium dictavit, ideo secundum morem Romanæ Curie ipsum composuit.

## IN FESTO

## CORPORIS CHRISTI,

## AD PRIMAS VESPERAS.

**A**niph. Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech, panem, & vinum obtulit. *Psal.* Dixit Dominus.

**A**niph. Miserator, & misericors Dominus escam dedit timentibus se, in memoriam suorum mirabilem. *Psal.* Confitebor tibi.

**A**niph. Calicem salutis accipiam, & sacrificabo hostiam laudis. *Psal.* Credidi.

**A**niph. Sicut novelle olivarum Ecclesie filii sint in circuitu mensæ Domini. *Psal.* Beati omnes.

**A**niph. Qui pacem ponit fines Ecclesie, & frumenti adipe satiat nos Dominus. *Psal.* Lauda Hierusalem.

## CAPITULUM.

**D**ominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Acci-

pite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. *Resp.* Deo gratias.

*Resp.* Homo quidam fecit cenam magnam, & misit servum suum hora cenæ dicere invitatis ut venirent: Quia parata sunt omnia. *Vers.* Venite, comedite panem meum & bibite vinum meum quod miscui vobis. Quia. Gloria. Quia.

## HYMNUS.

**P**ange lingua gloriosi Corporis mysterium, Sanguinisque pretiosi, Quem in mundi pretium Fructus ventris generosi Rex effudit genitum. Nobis datus, nobis natus Ex intacta virgine, Et in mundo conversatus, Sparsa verbi semine, Sui moras incolatus Miro clausit ordine. In supremæ nocte cenæ Recumbens cum fratribus.